

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Karolus, serenissimus augustus, a Deo coronatus, magnus, pacificus imperator, romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Franchorum et Longobardorum. — [Maximum regni nostri in hoc loco augere credimus munimentum, si petitionibus sacerdotum vel servorum Dei, quae nostris auribus fuerint prolatae, libenter annuamus et eas in Dei nomine ad effectum perducamus]. Igitur omnibus fidelibus nostris presentibus et futuris notum sit, quia petiit celsitudinem nostram vir venerabilis Fortunatus, Venetiarum et Istriensium patriarcha, ut teloneum de navibus suis quattuor ei concedere deberemus. Cuius petitionem eius servitio et meritis compellentibus denegare noluimus, sed ita in helemosina nostra concessisse et in omnibus confirmasse agnoscite. Precipientes enim iubemus, ut nullus quilibet de fidelibus nostris de superscriptis navibus quattuor Fortunati patriarchae ullum teloneum, nec siliquaticum, nec laudaticum, nec cispitaticum, neque ullas redhibitiones ab hominibus suis pro hoc exigere vel exactare presumat, sed liceat ei superscriptis navibus quattuor ubicumque in regno, Christo propitio, nostro negociando pro utilitate sanctae suae ecclesiae absque ullius detentione vel contradictione, ubicumque voluerit, pergere et iterum in Dei nomine ad propria remeare (1). Et ut haec auctoritas firmiter (c o d . : *firmiter*) habeatur vel per tempora melius conservetur, de anulo nostro subter sigillari iussimus.

40. — 804, ante nov. (?) *Placito di Risano*.

FONTI: Arch. Stato, Venezia, codice Trevisano, c. 21 sg., n. 16; cod. marc. lat. X, 181, c. 18; 318, p. 26.

EDIZ.: Ughelli, *Italia Sacra*, V, 1097; Kandler, *Cod. dipl. istr.*, I, s. a. 804.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

(1) *Postilla inserita nel testo*: Hoc autem non solum Fortunato, verum etiam cunctis successoribus eius concedimus.